

Innocencius III. Moguntinensi et Magdeburgensi archiepiscopis et episcopo Bambergensi necnon karissimo in Christo filio illustri regi Boemie ac dilectis filiis lantgravio Thuringie et duci Meranie. — Nuncciis et literis vestris ea qua decuit benignitate susceptis vestroque intellecto processu licet semiplane descripto, gavisus sumus in domino et in potencia virtutis ipsius discrecionem ac devocionem vestram multipliciter commendantes, quod ad conterendum draconem, quem dominus ad illudendum illi formavit, inhiantem vos ac alios devorare inmaniter, incepistis magnanimiter operari, prosternendo tyrannum tam ecclesie quam imperio pestilentem. Ne igitur accidat¹, ut resurgat, nobis et vobis et aliis principibus tam ecclesiasticis quam mundanis est summopere providendum, ut nec fraudibus possit seducere nec viribus prevalere, quia novissima eius forent deteriora prioribus, nec iam draconis tantum nequiciam sed leonis eciam seviciam exerceret, nichil penitus inconcussum relinquens, quia nec rebus parceret nec personis, simul in unum spiritualia et corporalia confundendo. Quia vero nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno dei, neque qui ceperit sed qui perseveravit a domino commendantur, quamvis potissima pars huius negotii principium quidem extitit, cuius si medium bonum fuerit, optimus utique finis erit, prudenciam vestram rogandam duximus et monenda[m], per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus in incepto proposito sagaci consilio et efficaci studio procedatis, nichil de contingentibus omittentes, sed ad consummacionem ipsius opes inpendatis et operas curis² et viribus innittentes, in domino principaliter confidendo, qui conteret sathan sub pedibus vestris dabitque vobis de tyranno triumphum, qui nitebatur vos et alios in extremam redigere servitutem. Quantum namque sit huius *in secula*³ valiturum ad conservandum non solum dignitates et iura principum, verum eciam et pacem et iusticiam populorum, vestra prudencia non ignorat. Quare pro tali et tanta re nullatenus dubitetis per vos et alios quoscumque potestis opus honestius laborare, de auxilio et favore nostro securi, quoniam in eodem proposito sum[us] persistentes et firmiter⁴ vobis et aliis ad hoc fideliter intendentibus parati sumus impendere consilium et auxilium opportunum, nec

1) Die Hs. hat 'adiciat'. 2) Die Verbesserung 'curis' unsicher, doch giebt das handschriftliche 'iuris' keinen Sinn. 3) Die Stelle ist verderbt, ich vermuthete den Ausfall eines Wortes in der Bedeutung 'Versprechen, Zusage'; der Sinn wäre, 'denn wieviel seine Zusage zu gelten hat . . .' 4) Die Hs. hat 'formam'.